

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. Quanta sit vis orationis. — II. Vigilantes vident Dei gloriam. — III. Ingenium mundi. — IV. Etiam leviora peccata fugienda. — V. Aliter cadunt boni, aliter mali; boni prorsum, mali retrorsum. — VI. Schema gloriæ mundanæ. — VII. Typus adventus Christi ad iudicium.

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Tres magnos prophetas eosdemque jejunatores rigidissimos proponit nobis Ecclesia in hodierno evangelio, Moysen, Eliam, Christum, qui omnes per quadraginta dies ac noctes jejunarunt absque omni cibo. Meo quidem iudicio mittere vult nos Ecclesia ad jejunatores istos, ut ab illis perdiscamus, quid nobis per quadagesimam salubriter sit agendum. Quid ergo fecerunt illi? Moyses ad montem Sinai ascendit, et ibi per quadraginta dies cum Deo colloquutus est, de legibus et statutis, de sacrificiis et cæremoniis, de tabernaculo et sacris vasis. Similiter ergo et nos in nostra quadagesima ascendemus ad montem orationis et contemplationis, et loquemur ibi cum Deo, potissimum de sacratissima Christi passione, aliisque ad salutem nostram pertinentibus. Elias fugiens a minis et furore Jezabelis in solitudinem, postquam ab angelo confortatus esset pane subcinericio, ambulavit in fortitudine illius cibi quadraginta diebus et noctibus usque ad montem Dei Horeb, III. Regum XIX. Ergo etiam nos in nostra quadagesima secretum petemus, et magna cum animi puritate, ac devotione suscipimus panem eucharistiæ, præviis tamen penitentiae cineribus debite præparatum, et ita in via Domini fortiter pergemus fugiemusque a ventura ira, a peccato et peccati occasionibus. Christus et ipse in desertum abiit ibique se ad tentationem et pugnam præparavit. Igitur et cum Christo in solitudinem cordis nos recipiemus, et strenue laborabimus in diaboli expugnatione, vitiorum nostrorum et amoris proprii, carnis et sæculi debellatione, ut ita præclaram victoriam ad pascha obtineamus. Et hoc est magnum illud et omnium saluberrimum jejunium, quo peracto digni fiemus, qui cum Moysæ et Elia ad gloriam Christi participandam aliquando admittamur. Nunc quid nobis doctrinæ offerat hodiernum evangelium, videamus.

I. Vide quanta sit vis orationis et contemplationis. Etenim: *Facta est, dum oraret, species vultus*

CONCIO IX.

ejus (Christi) altera, inquit Lucas. Itaque: Orans transformatus est Christus, ut discamus quod oratio transformat atque illustrat hominem, si fiat quemadmodum oportet, ait Euthymius, Lucæ IX. sic etiam Exod. XXXIV. legimus faciem Moysis in monte Sinai ex consortio sermonis Dei cornutam factam esse, hoc est, radios splendoris instar cornuum undique a se emisisse, ita ut filii Israel intendere in eam non possent; et propterea Moyses faciem suam velare cogeretur. Hoc idem nobis gloriam Dei speculantibus evenire (absque tamen velamine legis) asserit apostolus, II. Corinth. III. Nos omnes revelata facie, inquit, gloriam Domini speculantes in eadem imaginem transformamur. Quo loco, vox speculantes, in Græco significat in speculo videre vel in speculo representare. Quemadmodum ergo speculum representat rem sibi oppositam: sic animus debite orantis et contemplantis Deum sibi tamquam exemplar propositum. Quisquis enim orat et contemplatur, Deum sibi ob oculos ponit, Christi item vitam, mores, actus, gestus, etc. ut eos in se depingat, imitetur et induat. Hinc enim primo, intellectus illuminatur; videt siquidem supernorum bonorum soliditatem et sublimitatem, terrenorum vero instabilitatem et vanitatem, sæpe etiam haurit sapientiam, quam studio sibi parare non poterat, quemadmodum S. Thomas Aquinas, qui scientiam suam potius orationi, quam studio adscribebat, et difficilem quæstionum solutiones precibus assecutum se agnovit. Unde nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem, quotidie idem sacrum faciebat, et ad aliud ministrabat, Surius, in vita, 7. martii.

Secundo, accenditur voluntas ad amorem Dei et studium virtutis, juxta id Psal. XXXVIII. *In meditatione mea exardescet ignis.* Quanto enim magis Deus cognoscitur, tanto magis diligitur: et si Dei ac divinorum bonorum gloriam et dignitatem sedulo nobis ante oculos proponeremus, facile in amorem Dei accenderemur.

Tertio, vitiosæ passionis domantur et labefactantur, sicuti per orationem Moysis, quamdiu manus erigebat et fervide orabat. Amalecitiæ vincebantur, Exod. XVII. Docet etiam experientia homines orationi et contemplationi deditos fortiores reddi ad demandas suas passiones, minusque iis obnoxios esse.

Quarto, corpus etiam quandoque immutatur per orationem, ut vel præsentia non advertat, vel in extasin, vel in sublime rapiatur, ut de SS. Francisco, Dominico, Thoma Aquinate et aliis legimus, qui orantes inter cælum et terram visi sunt. Alii radiare et ignes ac flammas vibrare inter orandum visi sunt, uti SS. Franciscus, Antonius, Ar-

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

793

senius, Agnes, etc. Quod si nihil tale (saltem ex tribus primis effectibus) nobis contingit, signum est, non ita nos, sicut oporteret, orare. Ut speculum representet imaginem rei objectæ, mundum esse debet et a sordibus purum: sic etiam cor nostrum in oratione ab externis affectibus liberum. Similiter si eidem speculo simul multa opponas objecta, nullum integre et exacte representabit, sed omnia confuse et truncate: sic etiam si inter orandum ad alia objecta simultem advertamus, minor erit divinorum sensus. Ad hæc sicut facies Moysis non ex brevi, sed diuturno colloquio quadraginta dierum scilicet, adeoque, ex consortio sermonis Dei, ut ait s. textus, induit splendorem: sic non qui semel in die vel hebdomade orat, sentiet prædictam orationis efficaciam, sed qui orationi et contemplationi sedulo addictus est.

II. Disce vigilantibus, non dormientibus obtinere conspectum gloriæ Dei. Etenim sicut apostoli initium transfigurationis non viderunt, quia sopore gravati erant, ac nisi evigilassent, nec medium nec finem vidissent, ita si plerique hominum amore et desiderio Dei ac cælestium bonorum non afficiuntur, nec sciunt quam suavis est Dominus et cælestis gloria, inde est, quia veterum vitiorum consopiti jacent, nec oculos attollunt ad supernorum et solidorum bonorum considerationem: hanc enim si degustarent, omnibus terræ deliciis eam anteponerent, quemadmodum Sanctus Thomas Aquinas contemplationis suæ studium civitati Parisiorum anteposuit, quod hæc si ipsius esset, propter curam regiminis eriperet illi contemplationem divinorum et consolationem animi impediret. Dolendum profecto est, quod homines sic dormientes priventur cælo et ferantur ad infernum. Quomodo enim sibi irascuntur aliquando, quando sero nimis evigilabunt, quod non aperuerint oculos ad solidorum bonorum contemplationem, et terræ potius adhæserint quam cælo? Dè Ulyssis sociis scribit Homerus, Odyss. I. IX. quod loti herbe dulcedine inescati, ad naves suas redire patriamque repetere noluerint, sed cum Lotophagis potius remanere voluerint. Tales adamussim plerimi mortales, qui modica terrenarum rerum velut loti dulcedine sic capiuntur, ut cælestium bonorum obliviscantur, nec non et navis et itineris, quibus illuc ferantur, hoc est, virtutis et observantiæ mandatorum. Porro duabus maxime rebus excitati videntur a somno fuisse discipuli, colloquio scilicet Christi cum Moysæ et Elia, quod erat de morte sua: et deinde fulgore corporis Christi. Eadem ista sunt, quæ excitare nos a somno peccatorum deberent: colloquium sci-

licet de passione Domini, quod his maxime diebus ubique tractat Ecclesia, deinde beatitudo et gloria resurrectionis. Primum quidem, si recordemur propter peccata nostra innocentem alium, et quidem Dei Filium occisum esse, itemque si in viridi ligno id contingit, quid futurum sit in arido? Secundum vero si cogitemus trophæa Christi, per mortem acquisita, et nobis etiam proposita. Themistoclem ferunt stimulis virtutum ita agitari, ut propterea noctes inquietas ageret et subinde evigilaret: quærentibus quid ita eo tempore in publico versaretur, respondit: *Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant, Valerius, libr. VIII. capite XV.* Nulla sunt trophæa, cum beatorum dotibus comparanda. Quid enim est fulgere instar solis? Ut taceam alias dotes corporis et animæ. Quid est laudari a Deo, versari cum societate sanctorum in cælo lucidissimo, videre Deum et Christum, etc. quæ omnia monstrantur nobis in hodierno evangelio? Et hæc ipsa sunt, quæ excitare nos a somno debent.

III. Vide sæcularium ingenium, in Petro effigiatum. Hic enim parum ad futura attendens, quid pro nobis Christus, et ipse aliquando pati deberet, præsentia tantum spectans, respondere cepit: (colloquentibus nimirum de morte Christi et prophetis.) *Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, etc. nesciens quid diceret, ut inquit S. Lucas: plane nesciens et aberrans multipliciter.* Nam imprimis terra, non est locus triumphii, sed potius certaminis. Duces Romanorum alibi militabant, sed Romæ triumphabant. Cælum locus triumphii est, terra vero militiæ. Deinde, gustus gloriæ, quæ in monte hoc monstrata est, una tantum gutta est de torrente voluptatis Dei; parum igitur considerate agis, Petre, si pro torrente voluptatis unam velis acceptare guttam. Sola hic videtur claritas corporis: ubi aliæ dotes? Ubi dotes animæ? Ubi visio beatifica? Ubi sanctorum societas? Ubi cæli amœnitas? Ubi cætera bona quæ oculus non vidit, etc? Tertio, corona non datur ante pugnam, nec merces ante laborem: quomodo coronam et mercedem loqueris antequam pugnes et labores? Ad hæc si adhuc mortalis in monte hoc persistas, unde tibi victus et amictus? Item quis pro nobis satisfactorius est, si Christus ibi manserit? Denique, quid fiet de tuis condiscipulis, ad montis radicem relictis? Itane deserendi sunt et tradendi oblivioni? Quare sicut filii Zebedæi aliquando audierunt a Christo: *Nescitis quid petatis, ita et nunc Petrus, quid peteret nesciebat.* Quam verè multos habet sui adhuc similes! Aliqui cælestium mitterent, si hic vivere sinerentur in suis prosperitatibus. Nescitis quid dicatis: non

est hic locus beatitudinis : stadium est hic locus, quod nobis percurrendum est, nequaquam vero inhabitandum : peregrina in terra sumus, nequaquam adhuc in patria. Alii pro cælo modicum terræ acciperent, unam domunculam, unum agellum, unum hortulum; alii generosiores principum favorem, opes et dignitates; alii magis ingenui, scientiarum investigationem; sed nescitis quid dicatis, omnia hæc umbra sunt bonorum supernorum, guttæ sunt, nihil sunt. Alii sibi persuadent, certo se salvandos et quodammodo jam figunt sibi tabernacula in cælo. In cælo, inquiunt, convenimus : et quid ibi faciemus? Quorsum ambulabimus? Quæ per omnem æternitatem colloquia miscibimus, etc? Nescitis quid dicatis; de labore, de certamine, de mediis prius cogitandum, quibus cælum mereamini. Videte quomodo mandata observetis, quomodo sacramenta percipiat, quomodo multa bona patretis, quomodo Ecclesiæ obediatis in jejuniis, festis diebus colendis, etc. Forsitan necdum pugnare cœpistis et quomodo triumphum canitis? Unde S. Chrysostomus, in epist. ad Philip. hom. XII. « Sursum posita est palma, inquit, vide quantum sit spatium percurrendum; vide, quanta sit sublimitas, quo pervolandum est alii spiritus? Cum corpore eundem est illo, etc. » Alii præsentibus immersi voluptatibus, de futuris malis nihil sibi prognosticant. Ambitiosi honores cogitant, nihil vero somniant de futura confusione; avari nummos jaclant, nihil vero metuunt futuram paupertatem; potatores et parasiti perpetuo in patinis et poculis versantur, nulla eos subit cogitatio de futura siti et fame gehennæ; impuri in suis sordibus secure volutantur, nequaquam vero cogitant quomodo habitaturi sint cum ardoribus sempiternis : nesciunt ignem infernalem sibi accensum, plusquam fornacem illam Babylonicam. Denique, multi patresfamilias egestate pressi, suas tantum quærunt commoditates, tabernas frequentant, aleis vacant, munera elargiuntur, parum interim solliciti quis eorum debita solvat : quid ærumnarum domi patiantur uxor et liberi. Multi etiam liberi et hæredes, gaudent bonis parentum et amicorum, parum interim solliciti, quid illi patiantur in aliquo tormentorum loco; an voluntatem testatorum exequantur. Hocce non est nescire quid agas vel dicas?

IV. Disce non mortalia tantum peccata et venialia majora, sed etiam minora fugere et formidare, quod etiam ista in cælo locum nullum habeant, in quod nihil coinquinatum poterit intrare. Ecce enim discipuli antequam et ipsi a nube lucida cingerentur, nihil timuerunt, sed

postquam in nubem intraverunt, tunc primum timuerunt, teste Luca. Nimirum antea extra nubem, quasi in umbra constituti non viderunt nævos suos et defectus, tametsi veniales tantum : unde nec timuerunt. Sed postquam divinæ claritatis radiis illustrati erant, tunc demum viderunt illos, ideoque timuerunt. Qui in umbra versatur, minimos illos atomos et pulvisculos in aere volitantes non videt; ad radios solis videt. Simili ratione, qui communem degit vitam infra perfectionem, mortalia forte agnoscit et graviora venialia; minora tamen, quibus quotidie inquinamur, non facile advertit nec pro peccatis habet. At vero qui cum his discipulis in divinæ claritatis lumine ambulant, minima quæque discernunt et velut magna deflent, scientes nihil omnino coinquinatum in civitatem illam ex auro mundo ædificatam ingredi posse, quod non fuerit prius alicubi purgatum. Hinc illæ tam graves pœnitentiæ, leves ob errores ab iis sæpe susceptæ. Theodoretus, in Philotheo, c. IV. refert S. Eusebium, quod sub privata evangeliorum lectione oculos et mentem in quosdam aratores conjecisset, talem sibi indixisse pœnam, ut deinceps tota vita oculorum aciem ultra palmum non extenderet. Nimirum alia sunt judicia Dei, et alia hominum. S. Hieronymus refert Hilarionem adhuc adolescentem ob exiguam sub precibus distractionem adeo a Deo punitum fuisse, ut dæmon permitteretur in ejus dorsum insilire et latera calcibus, cervicem flagello verberare, in vita, capite III. Ipsemet Hieronymus flagellatum se dire Dei jussu scribit, quod nimium addictus fuisset libris ethnicorum, ut alibi diximus. Exempla etiam sunt, quæ ostendunt ob levia peccata gravissimas in purgatorio pœnas dari debuisse. Itaque curemus vitare etiam minima, et patrata investigare atque expiare, ad quod miro modo juvabit frequens confessio et communio, (quam ideo dæmon variis modis conatur impedire,) quotidianum etiam conscientie examen : hinc fiet ut tanto expeditius ad gloriam intrare possimus et liberari e purgantem flamma.

V. Nota diversam cadendi rationem, bonorum et malorum. Cadunt enim quandoque et boni in peccatum, sed prout et in faciem suam, ut cecidisse dicuntur discipuli in hodierno evangelio, item Paulus, Actor. IX. Daniel, capite XI. et alii. Mali vero retrorsum ut Heli sacerdos, I. Reg. IV. et cohors illa militum Christum quærens comprehendere, Joann. XVIII. Boni cadunt prorsum. Primo, quia vident quorsum et quam graviter ac periculose cadant. Sic David, postquam abscedisset Sauli partem chlamydis, et quando numeravit populum suum, II. Regum

ultimo, statim percussit eum cor suum, I. Regum XXIV. Secundo, quia accedunt ad pedes Christi, dum mox offensum Deum timent ut pœnas a se exigunt vel puniri ab eo petunt : sicut idem David fecit, quando post peccatum numerationis populi mox pœnitens optione sibi data, maluit incidere in manus Dei. Tertio, quia citius se erigere manibus suis possunt ac solent : anguntur enim conscientie stimulis et mox quærunt occasionem confitendi, neque eunt cubitum nisi prius percussant cor suum, doleant, fleant, et proponant proxima occasione confiteri et Deo satisfacere dicentes : *Pœnitentiam habe in me et omnia reddam tibi.* Ut fecit idem David, qui Ps. XXXVII. ait : *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Hujus exemplum ex præcepto S. Ambrosii secutus est imperator Theodosius, qui ob eadem Thessalonicensium a S. Ambrosio excommunicatus non quievit, donec ab eodem absolutus in communionem reciperetur. Quarto, quia de peccato suo erubescunt et ita faciem suam abscondunt. Contra vero mali, qui peccatis assueti sunt, retrorsum cadunt; primo, quia non vident quam graviter et quam periculose cadant, quam sint propinqui gehennæ, etc. quandoque peccasse se non putant. Deinde, puniri pro peccatis suis renuunt et malunt impunes esse, atque ita cadendo retrorsum a Deo elongantur. Ad hæc non adlaborant, ut quanto citius resurgant, sed quieti in peccatis vivunt. Quarto, quia non pudet eos peccasse, sed quandoque etiam gloriantur. O lapsus periculosum!

VI. Videmus hic schema aliquod gloriæ mundanæ. Tametsi enim in hac transfiguratione typus quidam veræ felicitatis nobis est exhibitus; quia tamen is modicum duravit et brevi ita evanuit, ut solus Jesus inventus sit, non amplius gloriosus, sed servili forma : non obscure cernimus simili etiam modo transire gloriam mundi. Videbatur hic Christi facies splendida ut sol, vestes velut nix, audiebatur vox Patris miro modo suavis, júbilus Petri; ambiebat nubes lucida, aderant optimi amici, Moyses et Elias. Et en subito hæc omnia evanuerunt, et remansit solus Jesus absque omni decore. Ita fit in mundo : hodie epulamur et vestimur splendide, fovemur a suavissimis parentibus, habitamus in magnificis ædibus, salutamur et honoramur ab amicis : ibi júbilus et lætitia. Veniet subito dies aliqua in qua omnia evanescent, et nudi absque omni decore efferemur ad sepulcrum : ita finit comœdia. Nimirum nihil in mundo exhiberi potest vel ab ipso Christo quod fixum perseveret, quia mundus ipse transit. Hinc clamare jubetur Isaias : (ut nimirum toto mundo audiatur.) *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri, Isai.*

XL. Nam si terra areseit e qua prodiit flos; quid mirum si et ipse cum matre simul areseat? Et si perit caro; quid mirum, si et gloria, quæ in carne subsistit? Constans igitur gloria in cælo tantum quæranda est. Et tamen miseri mortales figere hic tabernacula sua volunt, et ita negotiantur atque ædificant, quasi æternum victuri. Qui quidem æque delirant, atque ii, qui ad ripam voracis fluminis splendidas ædes extruunt. Illud nobis hic solatii est, quod saltem solum Jesum, tametsi non in gloria sua, videre et retinere possumus. Quam beatus, qui hunc quærat, et ne perdat, tenet! Potes mundum obtinere; nihil tamen habebis nisi Jesum habeas : mundum enim transit, Jesus Christus autem heri et hodie, ipse et in sæcula, ait apostolus ad Hebr. XIII.

VII. Denique, hæc historia transfigurationis declarat etiam nobis gloriam adventus Christi ad extremum diem judicii toto mundo manifestandam, quod non obscure indicat ipse Christus, dum immediate antea Matth. XVI. dixit ad discipulos suos : *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Quo loco transfigurationem suam mox secuturam intelligit, in qua speciem exhibiturus sit futuri adventus sui; simili nimirum gloria spectandus. Itaque transfiguratio Domini.

Primo, post sex dies facta dicitur a Matthæo et Marco : ita post sex dies, quibus mundus est creatus, seu consummatis sex mundi ætatibus veniet in gloria sua Christus judex. Evolutis his sex diebus laborum et tribulationum, tunc aderit dominica quietis et resurrectionis.

Secundo, in transfiguratione separatio discipulorum facta est : alii inferius, ad pedem montis relictis sunt, novem scilicet; quarta vero solum pars assumpta est ad montem, gloriam Christi visura : sic etiam in judicio separabuntur oves ab hœdis; *Et unus quidem assumetur, alter vero relinquetur, Luc. XVII.* Et quidem longe major pars inferno relinquetur, quia terram dilexerunt; minor vero pars, quæ ad cælum rapitur obviam Christo in aere, I. Thess. IV. rapitur, inquam, vel assumetur, per Christum ejusque merita.

Tertio, in transfiguratione Christus alteram induit faciem, et apparuit gloriosus, qui prius apparebat despectus : sic etiam in judicio induet aliam faciem; nam qui senunc mitissimum præbuit nobis agnum : Tunc occurram eis, inquit, Os. XIII. *quasi ursæ raptis catulis et dirumpam interiora jecoris eorum, consumam eos ibi quasi leonem.* Similiter et Job, c. XXX. *Mutatus es mihi in crudellem,* inquit.

Quarto, in transfiguratione resplenduit facies,

Christi sicut *sol*, vestimenta autem ejus sicut *nix*; sic etiam in judicio veniet cum splendore et majestate, omnia videns et illuminans, omnium corda velut perlustrans, necnon vestium candore, hoc est, gloria justorum, qui Christo tamquam vestes adhærent, circumdabitur et ornabitur juxta id Isa. XLIX. « Omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa. » Unde Greg. I. XXXII. mor. c. VII. ait: « In transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? In monte vestimenta ejus sicut *nix* facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine, sancti omnes et luce justitiæ fulgentes adhærebunt. » Sic Greg.

Quinto, in transfiguratione apparuerunt Moyses et Elias; ille ex mortuis, hic e vivis: sic vivos et mortuos judicabit Christus. Moyses Christum antegressus est, apostoli comitabantur, Elias sequetur ultimis temporibus, ut scias Christi meritis salvos fore, quotquot salvi erunt, qui ante ipsum, qui cum ipso, et qui vixerunt post ipsum: et hos omnes duros Christo gloriam.

Sexto, in transfiguratione gravati erant somno discipuli, postea evigilantes viderunt gloriam Domini; sic etiam ante judicium omnes morituri sunt, et audient vocem illam: *Surgite mortui, venite ad judicium. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et majestate*, Matth. XXIV.

Septimo, in transfiguratione Petrus dixit: *Bonum est nos hic esse*: similiter in judicio dicent etiam electi ad dexteram Christi stantes: *Bonum est nos hic esse*, ubi gloria, pax, gaudium et perpetua securitas.

Octavo, in transfiguratione apparuit nubes lucida et obumbrans: sic etiam Christus iudex in nubibus cæli veniet, tamquam in curru regio sub cujus umbra proteguntur electi.

Nono, denique in transfiguratione vox de nube facta est: *Hic est Filius meus, etc. Ipsum audite*. Sic quoque in judicio intonabit Christus veluti e nubibus, et proferet sententiam, cui perpetuo standum erit. Et primo, ad electos dicet: *Venite, benedicti Patris mei, etc.* Postea vero vultu horribili ad impios converso, ablegabit eos in infernum, dicens: *Discedite a me, maledicti*. Et si discipuli Christi suavam illam Patris vocem audire non potuerunt, quin caderent in facies suas et timerent valde: quo animo, quo sensu, qua formidine audient damnati vocem Christi? Quam gravi lapsu ruent? Quod si Adam in paradiso, voce Dei vocantis territus est, dicens: *Audivi vocem tuam, et timui*: quomodo sustinebunt reprobi vocem repellentis? *Leo rugiet, quis non pavebit?* inquit Amos, c. III. Quare: *O beati oculi,*

inquit S. Basilius, orat. de transfig. *qui terribilem illum diem in amabili specie videbitis*. Quod donet nobis Deus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur assumpti tres tantum discipuli? — II. Cur Petrus, Jacobus, et Joannes? — III. Cur ducti in montem excelsum seorsum? — IV. Qualis hæc transfiguratio? — V. Cur comparuerunt Moyses et Elias? — VI. Qua de re locuti? — VII. Ad quid adducta nubes? — VIII. Cur taceri voluit Christus hoc mysterium? — IX. Quomodo Pater in Filio sibi placet? — X. Quis ordo transfigurationis?

THEMA.

Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, etc. Matth. XVII.

Ter in anno legitur evangelium hodiernum. Lectum fuit in hesterno officio, legitur in hodierno, legitur in festo transfigurationis. Nec una est hæjus rei causa. Affert enim laboris et imprimis abstinentiæ quadragesimalis dulcissimum levamen, dum in eo videmus quanta bona Deus præparavit diligentibus se et carnis suæ domitoribus, quales erant Moyses et Elias, *visi* et ipsi cum Christo *in majestate*, quia cum ipso etiam quadragesimam jejunarunt. Sic filius alacrior fit ad studendum, cum subinde pater ostendit ei pulchrum pannum, ex quo vestem ei pollicetur. Deinde, quoniam Christus gloriam suæ transfigurationis occultari voluit usque dum resurgeret; docet ut nunc tanto magis eam publicemus, et passionis ejus confusionem, hæc gloria compensemus. Denique, quia de longe venientes et mirabilia narrantes libenter et avidè audimus, præsertim de nostra patria. Sic Israelitæ in captivitate Babylonica rogati ut canerent suis organis, Psalm. CXXXVII. ita respondent: *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ, q. d. si non imprimis memor sim meæ patriæ, exarescat dextera, quæ pulsare solet citharam, obmutescat lingua, quæ cecinere solet*. Itaque, auditores, quoniam hoc evangelium nova nobis affert de cælesti nostra patria, studiose indagemus et attente audiamus omnia, quæ dicuntur.

I. Cur assumpsit tantum tres discipulos ad spectaculum suæ transfigurationis? Respondeo primo, quia voluit ad tempus hoc mysterium occultum esse, uti demum præcepit. Melius

autem occultari poterat, si paucis, quam si multis monstraretur. Quod multis revelatur, occultari nequit. Unde Sapiens, Eccles. VI. *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille*. Multi sunt uti lacus Asphaltites in Judæa, ubi nihil mergi potest, omnia supernatant, teste Plinio, l. II. c. CIII. qui nigrum arcanum nullum retinere sciunt.

Secundo, quia sufficiebat testimonium trium, juxta id Deut. XIX. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Cæteris satis, imo melius erat, his credere propter meritum fidei, nam *beati qui non viderunt et crediderunt*. Ita paucos adhibuit Christianos testes suæ resurrectionis; cæteros credere voluit.

Tertio, ut ostenderet perpaucos esse eos, qui cælestem gloriam sunt adepturi, etiam ex illis qui putantur vulgo boni. Vulgus siquidem omnibus blanditur, et facile alios judicat bonos: quia et talem se haberi optat et sæpe asinus asinum fricat. Similiter in providentia universali Deus nullum excludit; utitur enim et Juda sæpe ad prædicandum, sanandos ægros, etc. tamen quando venietur ad particularem providentiam et distributionem secundum cujusque merita, multi excluduntur præter omnium expectationem, et multi quidem vocati sunt, pauci vero electi.

Quarto, ut discamus virtutes proprias citra necessitatem non aperire, sed potius defectus nostros: sic Christus Hierosolymis, loco celeberrimo et festo solemniori, adeoque coram grandi multitudine pati voluit, transfigurari coram paucis.

Quinto, ut doceret paucis datum esse fructum dulcedine spirituali in orationibus, communionem, tribulationibus, etc. in hac vita; plerisque differri in alteram vitam, ubi proprie locus est.

II. Cur Petrum, Joannem et Jacobum? Respondetur primo, quia Petrus erat successor Christi futurus: cur autem Pater non manifestet sua secreta Filio quem successorem constituit? Joannes erat Christi secretarius futurus et quidem intimus; Jacobus erat primus ex apostolis calicem Domini bibiturus per martyrium.

Secundo, quia hi tres maximum habebant zelum tuendæ gloriæ Christi. Petrus pro eo mori paratus fuit, ideoque gladium exeruit eum defensurus. Cæteri duo Boanerges, Domino excluso de civitate Samaritæ, ignem de cælo in eam provocare volebant, zelo honoris Domini sui.

Tertio, quia hi majore dignitate præditi et cæteris excellentiores erant: Petrus fide et dilectione, Joannes virginitate, Jacobus fervore et

zelo animarum; unde et ad suscitationem filiæ Jairi, et ad hortum Oliveti assumpti. Mundus Judam assumpsisset, hos tres ad radicem montis reliquisset!

Quarto, ut indicarent tres conditiones meritum, quibus gloriam promereri oportet: statum gratiæ in Joanne, promptitudinem voluntatis in Petro, difficultatem operis in Jacobo, qui luctator exponitur.

Quinto, ad indicandum tres aureolas, doctorum in Petro, virginum in Joanne, martyrum in Jacobo.

III. Cur duxit eos in montem excelsum seorsum? Respondetur primo, ut doceret nos vim orationis orandique modum. Oratio enim est elevatio mentis in Deum, in qua terrena despicimus et parva esse videmus; cælestia vero bona et magna. Ad hanc vero ritè instituendam requiritur vel saltem utilissimus est locus solitarius vel certe mens solitaria, id est, nullis terrenis rebus intendens: unde inchoaturi orationem, prius formare conceptum debemus, quasi nunc e valle sæcularium curarum ascendere velimus ad montem contemplationis cælestium, et longe ab hominibus soli cum Deo loqui.

Secundo, ut doceret ascendendum esse ei, qui vult gloriam cælestem, cujus typus est hic mons excelsus, consequi; regnum enim cælorum labore comparatur. Ideo etiam Matthæus post sex dies ait Christus transfiguratum. Senario dies laborum comprehenduntur, septenarius autem quietis est et sabbati. In terrena negotiatione plus proficit astutia et ars, quam labor; ideo mercatores communiter ditiores sunt operariis: in cælesti vero plus valet labor, quam astutia. Unde Psalm. XXIII. dicitur: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus*, id est, qui operatur non bona tantum sed bene. *Et mundo corde*, id est, alienus a desideris et cogitationibus etiam malis. *Qui non accepit in vanum animam suam*, id est, qui agit id, ad quod est creatus, laboratque sedulo. Omnes morituri aspirare se ad cælum dicunt; interim sæpe de sufficiente confessione et aliis requisitis audire nolunt, sæpe nec unica eleemosyna ab illis extrudi potest, qua sibi viam ad cælum parent, quod aliud non est, quam velle in cæli monte esse, sed nolle interim ascendere.

Tertio, ut doceret beatitudinem veram non esse quærendam in hac mundi valle, sed in cælesti illo monte: ibi enim beneplacitum est Deo habitare. Multi autem sunt qui semper et solum cogitant terrena, nec ullam de cælo curam aut cogitationem habent: ranis quam